ORATIO DE CIRCUMCISIONE IESU

Salvatoris

Digitized by Google

SENATVI
POPVLOQVE
ROMANO.

F. Saluator de Roma Ord. Min. Obſeru. Collegij Diui Petri Montis Aurei Theologi Inſtituti Alumnus P. F. E.

VELLEM EQVIDEM, SENATVS AMPLISS. hæc tenui, imbecilloq. ingenio meo elucubrata, iudicari ab omnibus tuo nomine non indigna: verum vtinam ſpem non fallat euentus. Etenim in me ipſo ſæpiſſimè experior, & in alijs ferè omnibus animaduertere ſoleo, vt quò ad altiora quiſque tendit, eò magis infirmum, & viribus extenuatum ſe eſſe intelligat. Accipies tamen ea, qua ſoles clementiæ facilitate tenues hoſce non oſtentationis, ſed obſeruantiæ fœtus; monumentum profectò non

31

ingenij ſed voluntatis: & mei maximum, ardentiſſimumq́. animum intuens, longè ingenium ſuperare credes. Cùm enim ea, quæ deberet non poſſit, pro virili ſaltem portione elaborare contendit. Vale, quem Deus ſemper amplificet. Ex Ædibus Diui Petri Montis Aurei Idibus Ianuarij, M. D. XCIII.

O R A T I O.

DE CIRCVMCISIONE cum mihi neceſſariò dicendum ſit, SENAT. AMP. in tam multas, tamq. impeditas difficultates me video eſſe coniectum; vt orationis exitum quemadmodum explicem peruidere non poſſim. Dum enim huius tantæ, tamq́. illuſtris frequentiæ ora, atque oculos in me vnum conuerſos conſpicio, ob inopiam ingenij mei, & egeſtatē rerum, atque verborum, non poſſum non animo magnopere commoueri. Hic nanque vbi tantæ maieſtati debitor ſum, in hoc vetuſto, ac percelebri Vrbis Templo, in hoc auguſtiſsimo Romanorū conſeſſu', puto eſſe abſurdum velle loqui eum, qui recens à barbaria prorſus in Romanæ eloquéntiæ facultate ſit hoſpes, ſit elinguis, infans, & inconditè, ac ſine cultu, delectuq́. verborum loquatur omnino. Langueſcit, vt ingenuè fatear, induſtria, animus concidit, totaq́. mens ipſa, onere ſuſceptæ rei grauiſsimo, non preſſa modò, ſed oppreſſa ſuccumbit. Verùm quoniam ei, qui ſponte ſua ſui iuris eſſe deſijt, & vitæ licentiam, ac libertatem omnem arbitrio diuino deuouit, emancipauit, addixit; animi recuſantis imperium crimen magis eſt pertimeſcendum, quàm inſcitiæ nota; hinc fit quòd præſcriptum mihi munus ab ijs, quibus non parere nefarium profectò erat, malim conficere, vtcunque per ingenium licuit, quàm detrectare. Sanctæ enim obedientiæ viribus innixum nec difficultas à ſuſcepto onere abducere, nec timor ab incœpto debet abſterrere. De Circumciſione igitur verbá facturus, dum, veſtra P. C. fretus æquitate, primùm eius Originem, deinde cur Chriſtus voluerit circumcidi, & Circumciſionem ipſius multiplicem: poſtremo Myſterium breui, qua poſſum, oratione perſtringo; amicè, diligenter, & attentè audiatis.

Si hominum vitæ tranſacta curricula apud animum noſtrum cogitatione pertractemus, videbimus humanum genus nullo vnquam tempore, nulla ætate deſtitutum: ſed apud eum, cui pro-

prium eſt miſereri, fuiſſe ſemper pietatis, ac vitæ fontem vberrimum. Hanc pietatem, hanc vitam cùm pater noſter Adam ſuo arbitrio perdidiſſet, eiuſq. lapſu perturbatis omnibus mors inualuiſſet; terra diris execrationibus obnoxia eſſet, ac dedita; ſceleratorum regio aperta; altiſsimum domicilium interclusum; ſuperi hoſtes, Deus infenſus; & tandem profligato homine, atque peſſundato, victrix noſtri Diabolus volitaret, ac perbaccharetur audacia; continuò & ipſum offenſorem Adam crimine per ſapientiam liberauit Deus: ab Abelo autem eius filio totius Eccleſiæ duxit exordia: quapropter non obedientiæ patris illicò oblitus, immò ſanctitate delectatus, ſacrorum, & ſacrificij ritum, ac mores ab eodẽ accepiſſe creditur. Deinde ſuper Enos, ſuper Enoch, & Noe vſque ad Abraham miſericordia in eo comperta eſt, qua hominum generi vniuerſo mira benignitate ſuccurrit. O benignitas, atque liberalitas. Figurauit hominem ex limo terræ: ſpiritum vitæ flauit in eo: ad ſui imaginem & ſimilitudinem condidit: ne ſolus eſſet dedit ei ſibi ſimilem adiutorem: in deliciarum hortulo collocauit: nimis verò in agendo præceps homo, dùm fœminę vetitum pomum acceptum offerenti placere cupit, procreatori Deo diſplicere non aduertit. At Dei benignitas, ne perderet quos condiderat, affectæ poſteritati volens adhibere medicinam, Circumciſionem induxit; primumq. huius Circumciſionis adminiſtratorem, exequutoremq. ſuæ arcanæ voluntatis Abraham inſtituit. Nanq. poſt illa tam multa, tamq. magnifica, vel iureiurando repromiſſa, officioſeq. in eum peracta; faciam te in gentem magnam; nomen tuum diffundam, ne timeas tuus ſum patronus, defenſor, & cuſtos; numera ſtellas ſic erit tua ſoboles; non amplius vocaberis Abram, ſed Abraham, quia poſui te patrem multarum gentium; aliaq. cuncta, quæ temporis anguſtię vetant inſerere; ſic nouiſsimè eſt familiariter, & beneuolè cum eo locutus. *Cuſtodies pactum meum, &c. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Huic Deus imperauit primò, vt circumcideret non ſe modò, ſed & vernas, & eos, quos prætio comparaſſet, & externos; quod fecit vno, eodemq. die nonageſimo nono ætatis ſuæ anno. Ab hoc viro ſanctiſsimo duodecim Iudæorum Tribus profectæ ſunt, & totus Iſraeliticus populus originem ducit, qui ab externis præputiorum maximè circumcidendi ritu ſecernitur, quem quadringentis annis fuiſſe ante datã Moſi legem priſcorum auctoritas annotatum reliquit. De Abraham

autem

autem cum loquor, illum intelligo, qui poſt miram terrarum prolunionem de Palmyrenæ Babyloniæ, quam alij Vr Chaldæorum vocant, originem traxit: quiq. duabus vxoribus, Sara videlicet, & Cetura copulatus, fuit tantæ continentiæ, ſapientiæ, & fidei, vt adhuc innior ſit Presbyter appellatus; & bis milleſimo anno ab orbe condito, plus minuſuè, iuxta varias ſcriptorum opiniones, primus eſſe meruerit cum quo fœdus illud ſanctiſsimum Deus Opt. Max. ſolenniter iniret, & contra natiuum malũ homini medela pararetur. O quàm magna S. A. huius in hominum genus nedum officia, ſed merita: fuit enim is, qui Cœlum, non dicam aperuit, ſed aperiendi ſpem certiſsimam attulit: fuit is ex cuius ſemine egreſſa eſt virga Ieſſe, & ex quo natus Mundi Seruator, & Conditor poſtquam completi ſunt dies octo circumciditur.

Non quia alicui peccato eſſet obnoxius; erat enim Dei filius, in quo via colubri reperiri non poterat, ſed ne legem videretur deſpicere, quam venerat, vt ipſemet dicit, non euertere, ſed adimplere. Vt humilitatis nobis eſſet exẽplum legibus ſe ſponte ſubijciens, qui legem tulit. Quin etiam voluit, dum hodie noſtra cauſa cruentatus efficitur, carnis circumciſionem infirmatam, ac mortuam, tandem aliquandò tolli, & mente, & animo nos fore circumcidendos commonſtrare. Voluit & propenſum amorem oſtendere; quandoquidem noſtræ ſalutis cupidus, peccata noſtra, cum nullam ipſe peccati maculam contraxiſſet, adhuc Puer, adhuc in tenella ætate candidiſsimo ſuo cruore diluit. O Patrem clementiſsimum verè Pellicano ſimilem: O inconſideratũ Adam, en quò tua euaſit inconſulta ratio, en quò pertinuerunt vetitæ dapes: poſteritati non ſolum guſtum obſtupefecerunt, ſed Deum etiam cruentarunt. Voluit demum & ſua ipſius circumciſione Dæmones obcæcatos perſcrutari non poſſe tantæ pietatis opus. Propterea nec vno modo tantùm circumciditur, ſed multiplici: circumcidit eum Pater natali ipſo die paupertatis vltima egeſtate: circumcidit Mater (ſic enim accepimus) octauo die lege ſeruili: circumcidit ipſe ſeſe in vita ſua humanarum rerum omnium deſpicientia: circumciderunt hoſtes acerbiſsimi Iudæi, per ſummum ſcelus, extremo ſupplicio crucis, cum Barbarum in morem excarnificatum, proſciſſum conuicijs, vexatum iniurijs, flagris ad percuſſorum defatigationem cæſum, morte turpiſsima multatum, ità demùm dimiſerunt toto corpore affectum, vt nulla in eo membra non luxata, deformata, circumciſaq. remanerẽt. Circumciditur denique Chriſtus S. A. & graui vulnere, ab Hæreticis:

ticis. dum tot peruerſis dogmata Chriſti vera, ſanctiſsimum cor pus eius myſticum, quod eſt Eccleſia, noſq. membra eius lacerare enituntur. Vos ingrati, Baſilides, Marce, Cerdon Chriſtum circumciditis, cum paſſum abnegatis, vel putatiuè paſſum, ſimulaſſeuè cruciatus aſſeritis: non ne videtis vix natum infantem incipere ſui populi errata circumciſione delere? Tu Apelles Chriſtum circumcidis, dum perfricta fronte, poſitoq. pudore verè hominem fuiſſe negas: O os impuriſsimum, ò cænum, ò monſtrum, ò ſcelus ipſum, & impietas, quibus enim te alijs nominibus hac tanta improbitate dignis appellem, prorſus ignoro, non ne audis vagientis vocem? audi, & excepto vulnere Puerum dolere iam crede. Quæ te maledicendi rabies inuaſit Euthyches, vt diceres in incarnationis momento carnem fuiſſe commutatam in Diuinitatem? ò hominis infantiam, & ſtultitiam ſingularem: non vultus concidit? non facies rubore ſuffunditur? conſpice vulnere crudeli, quod Diuinitas pati non poteſt, Chriſti carnem circumciſam. ò dementiam, & temeritatem veſtram cæci, & temerarij Noetiani: quam maiorem impietatem fingere, aut excogitare poteratis, quàm Patrem, non Filium paſſum dicere? ò mentes ſacrilegas, quæ tantum facinus concipere: digitos ſceleratos, qui hæc ſcribere potuiſtis: cæcam rempublicam, qui ea in manus hominum venire ad veſtrum dedecus ſempiternum paſsi eſtis. Relinquite furorem iſtum, & videte Verbum caro factum: videte Filium nobis datum: videte Paruulum octo dierum, qui Pater eſſe non poteſt, huc hodie, vt circumcidatur adductum. ò ferrei, & peruicaces Cherintiani, Ebionitæ, Nazzarei, cur effrenata audacia, ac perſeuerantia nimia Chriſtum adhuc circumciditis? ſi crucifixus, ſi mortuus, ſi ſepultus eſt iſte Puer, cur crucifixo, mortuo, ac ſepulto adhuc vulnus intelligitis? circumciditis vos Chriſtum, dum circumciſionem, omniaq. legitima, etiam poſt Chriſtum mortuum, & excitatum, ſeruanda docetis. Exuite iam veterem hanc perſonam errorum ſarcinis alligatam, & nouam induentes, iugum iſtud acerbiſsimum tædio huius tam miſeræ, & diutinæ ſeruitutis repellite; deſiderioq. veræ libertatis adducti ad Eccleſiæ Matris cariſsimæ ſinum confugite, conſiderantes Chriſti clementiam, qui lacte indigens, ac nutrice, ſanctiſſimã ſuam, & puriſsimam carnẽ dolore circumciſionis affici non recuſauit, vt vos ab inutili, & graui circũciſionis onere liberet.

Remanet ſacræ huius Inſtitutionis MYSTERIVM recludere, ne hæc in immenſum protrahatur oratio, quod ideò in calce reſeruatum

ſeruatum eſt, vt illud tanquam poſtremò acquiſitum, & veſtris pectoribus penitus infixum ſemper cordibus hæreat Etenim myſtica præputij circumciſio nil aliud eſt, vt opinor, quàm cùm ipſo Deo, qui propter peccati originem nobiſcum excanduerat, facta conciliatio, facta pax, facta vnio, per cordis, & vitij circumciſionem. Et quemadmodum in orbem, figurarum omnium præſtantiſsima, præputij carnem circumcidunt Iudæi ex legis præcepto; ita & nos, ſabbatho legis iam abrogato, Chriſti præceptis admoniti, trina circumciſione, qui numerorum eſt perfectiſsimus, circumcidamur. Circumcidamur igitur S. A. ſed corde, ſed ore, ſed opere: ſat enim pro nobis circumciſus eſt in carne Chriſtus, cum flagellatus, crucifixus, lancea latus eius apertum. Viuificanti ſpiritui adhæreamus, occidentem literā renunciantes Iudæis, qui ſi de carnis circumciſione gloriantur, certò ſciant non ſolum Patriarcham circumciſum eſſe, ſed Iſmaelem ſemiſeruum, & Vernaculos, & Argironitas, & Idumæos, & eos, qui ex Cetura orti ſunt, denique & Aegyptios, quos Iſraelitæ docuerunt. Non igitur circumciſio iuſtos reddit; hi enim omnes tanquā impij, & perfidioſi à Diuina Scriptura notantur, ſed fides. Apoſtolo nanque teſtāte, non commendatur Abraham, quia circumciſus in carne, ſed quia in corde: Credidit Abraham Deo, & iuſtus deſcribitur. Hanc præcipiens Hieremias circumcidimini Domino, ait, & auferte præputia cordium veſtrorum. Hanc quod non obſeruarint Iudæi acerbè reprehenduntur: dura ceruice & incircumciſis cordibus vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. Quod ſi à Deo iuſſam inquiunt, immò, & obſeruatā per Chriſtum fatemur: at non ne omnia in figura contigebant illis? non ne & in lege iubentur vetera proijcere aduenientibus nouis? Noua Chriſti Crux, nouum Baptiſma, nouum Euangelium. Hæc præſignificabant Iudæorū Circumciſio, & lex: hæc, quæ ſignificata ſunt, tueri debemus. Etenim ſi nihil aliud, præter literalem ſenſum, circumciſione, ac veteris maiorum inſtitutionibus ſignificari voluerimus, non ne figmentis, & fabulis complebimus vniuerſa? Quid enim ex primi parentis latere Eua progrediens? Quid Cain Abel ſanguinem profundens? Quid Noe ligneam fabricans Archam? Quid vineæ plantatio, & ſubſequuta ebrietas? Quid Cam ſanctiora naturæ patris detegens, & irridens? Quid Iſaac à Patre ductus ad victimam? Quid Iacob primogenita fratris pellium circumpoſitione præripiens? Quid Ioſeph in Aegyptum venditus? Quid Agni Paſchalis occiſio, & eſus? Quid tranſitus Maris rubri? Quid percuſſo ſilice emanantes aquæ? Quid Aenei ſerpentis erectio? Quid manus

nus Moſis in formam Crucis extenſæ? Quid Ioſue, Quid Iudicū, Quid Regum tempora? Quid ſacrificia, cæremoniæq. Leniticæ? Quid Prophetarū omnium dicta, quid facta conclamant? Omnia nimirum Chriſtum intelligunt, omnia Chriſtum loquūtur, omnia Chriſtum prædicunt, prænunciant, & præmonſtrant. Fuit igitur Iudæorum circumciſio noſtræ fidei figura, & legis, quæ non præci pit, vt in carne ferreo cultro, ſed in corde, in ore, in opere amore Filij Dei circumcidamur. Sic circumcidi nos ſuo exemplo Chriſtus edocuit; nos verò, ò miſeri, quibus de virtute in virtutem tranſeundum erat, de iniquitate ad iniquitatem adeuntes, hanc circumcidendi legem, veluti abrogatam omnino, explodimus. Nos, inquit Hieronymus, nō corda ſcindimus, ſed veſtimēta: non lapideo cultro, ſed ferreo alter alterum petit: præclarum illud teſtamentum pacis, quo Chriſtus nos cohæredes effecit, negligimus, repudiamus, infringimus. Et quid mirum ſi Ciuitates, Prouincias, Regna, & Imperia perturbata, exciſa, & euerſa intuemini? Audi S. A. quæ peſtis tuum ò Aſſyria Regnum eſt demolita? diſcordiæ. quis te tam latè imperantē inuaſit Græcia? ſeditio. quis libertatem veſtram eripuit Perſarum, ac Medorum Reges? inimicitiæ. quis Lacedæmonij vos euertit? odia. quis Athenienſes proſtrauit? bella. quis te, ò Roma Mundi Domina, Terrarum imperio ſpoliauit, quæ remotiſſimos etiam orbes tuo marte ſubegeras? factiones. quis Turcis, & Barbaris contra Chriſti fidem arma porrexit? contemptus veræ circumciſionis. & negligentia pacis Lybiam, Aſiam, Aegyptum, ac magnam Europæ partē ſubdidit Maumethis imperio, & infidelium Regum, & Tyrannorum. At quis te Petri Nauiculam per Syrtes ducit? quis te procellis exagitat? quis te nunc vergit in Scyllam, nunc in Carybdim? (ò inauditam improbitatē) incircumciſi Chriſtiani. Hinc, Roma mea, vides perditam Angliam, atque profligatam: vides Germaniam infinitis erroribus æſtuantem: fideliſſimam Galliā diuturnis, & infelicibus armis inteſtini belli ſe ipſam miſerè conficientē, atque trucidantem: variaſq. hæreſes veluti furias per orbem volitare conſpicis. Quid Sereniſſimus Imperator amiſerit nō ignoras, quid Pedemontani ſcribant optime noſti: & vt vno tantùm verbo dicam Chriſtiani orbis diſcrimina, calamitateſq. omnes, vides demùm Chriſti tunicam (proh dolor) noſtra met culpa ſciſſam, atque diſſipatam. Quibus tantum excidium lacrymas non excirét? quis fletus poteſt continere, quis non ingemiſcere? Matrem noſtram, Eccleſiam noſtram vexari, dilacerari conſpicimus tot hæreſibus, tot armis, tot peccatorum ſordibus. Et quod

deterius

deterius accidit,reperiuntur pauci (heu noſtri temporis conditionem) qui hoc vitiorum, & ſcelerum omnium præputium circumcidant. Tu verò Clemens vigilantiſsime Paſtor,non ſecus ac Ioſue,ſecunda nos circumciſione circumciſos in Terram promiſſionis inducis: ſic enim, diuina tibi fauente virtute, ab ipſis tui Pontificatus exordijs incœpiſti,& non deſinis. Nunc te,tua pace, monuerim, Roma mea,tanti Pontificis tuæ ſalutis peruigilis tibi exemplar propone imitandum: & perge,vt inſtituiſti,cordis ope rumq. præputia circumcidere. Nulla etenim, mihi crede, ſunt tam alta,tam magnifica,tam excelſa imperia, nec tanto munita vallo,nec tanto vallata munimento, quæ,niſi circumciſa fuerint, non diruta,diſsipata,& collapſa iaceāt. Et quoniam id omnibus à natura inſitum eſt, vt Patrum, à quibus genus ducit, memoria delectetur vnuſquiſque: tuus,Roma mea,Valerius Meſſalla nunquam Aſiam,Africam captiuā dúxiſſet, ſi Aſiani, Africaniq. fuiſſent circumciſi. M. Iuuentius non ſubieciſſet Corſicam, non Luſitanos Poſtumius,ſi Corſi,ac Luſitani fuiſſent circumciſi. Si circumciſi fuiſſent Macedones, & Galli, nec Paulus Aemilius, nec Gn. Cornelius triumphaſſent. Et ne ſingula imperij tui lumina percurrendo ſim longior, non Cornelius Lentulus, non Marcellus,non Quintius,non M. Attilius,non Fuluius,non Sempronius, non denique cæteri permulti,quorū geſtis, magis quàm Theatro gloriæ,famæq. præconio dignis, pleni ſunt libri, pleni faſti, pleni & lapides; non inquā triumphali honore decorati fuiſſent, ſi populi,quos ſubiecere,fuiſſent verè circūciſi in corde,ore,& opere. Non erant,Quirites, circumciſi in corde ambitioſi Appius Claudius,& M.Manlius Non erant circūciſi in ore,Cæcilius Metellus, & filij Bruti,quando,vt Patriam relinquerent,cæteros hortabantur. Non erant circūciſi in opere,effœminati Sextus Tarquinius, P. Clodius,Catilina,& demum (pace veſtra dixerim) ſceleſti Caligula,& Nero: quorum alter Sororibus ſe commiſcere, alter & Matrem appetere auſus eſt. Hanc circumciſionem quoniam nō obſeruaſti,Roma, expleta ſunt ea (quod non ſine peracerbo quodam animi mei ſenſu,ac dolore dico) quæ tres illæ literæ ſingulæ ter deſcriptæ deſignabant,quas Romæ in Columna impreſſas Valerianum vidiſſe ab ipſo met accepimus, Pater Patriæ Perditur. Ruunt Regna Romæ. Ferro Flamma Flammine. Sed,vt ad iucundiora iam deflectat oratio,quia & corde,& ore,& opere verè circumciſi fuerunt tui, nunquam ſine honoris præfatione ponendi, quibus ſemper aſſurgimus,Marcellus,Gregorius,Vrbanus,Zefferinus, Clemens, Calixtus: & ne viros tantùm numerem, Agnes,

Praxedes,

Praxedes, Cæcilia, & innumerabilia propemodũ vtriuſque ſexus Romana Chriſtianorum lumina, & firmamenta; & Mundi caput, & Regina: & Dea, Domina, & Imperatrix: & lux, & magiſtra orbis terrarum: & virtutum omnium altrix, atque parens fœcundiſsima: & omnis religionis cõſeruatrix, & excultrix: Chriſtianæq. fidei ſedes, & domicilium communi totius orbis conſenſu, nationumq. ſuffragio appellaris vbique. Hi enim omnes dum ad Piſcatorum ſpecioſiſsimos pedes peruoluti inanem ſæculi faſtum deponunt, vanaſq. felicitatis oſtẽtationes contẽnentes, ſuperbas moles in tuæ virtutis, ac munificentiæ monumentũ erectas ſalutari Crucis vexillo ſubijciunt; dignitatẽ tuam protendũt magis, atque amplificant, quàm auxerint Alexandri, Cæſares, Pompeij, dum tot Regiones ad tui imperij ditionẽ adiunxerunt, feceruntq. immania de ſuperato quondam orbe trophæa. Quicquid nanque in amplitudine tua olim nouum erat, & mirabile, pompis videlicet plus æquo dedita, ciues tuos orbis deuicti ſpolia referentes effuſa per Vrbem, & ſuburbia, inſigni ſæpe honore, & pluſquã Regio excipiendo, vileſcit, ſi triumpho comparetur iſtorũ de tribus potentiſsimis Regibus Carne, Mundo, & Diabolo vera circumciſione deuictis atque ſuperatis. Hos igitur ſpectate, Quirites, ſi vlla ſcintilla antiquæ fidei, & Religionis veſtris in mẽtibus reſidet: horum veſtigijs inſiſtite, ſi vllus vobis veteris gloriæ ſenſus remanſit: horum circumciſionẽ imitamini, ſi Auorum perennem conſortiũ anhelatis. Hæc, Illuſtriſs. P.P, quæ certò ſcio multo magis vos ipſos in pectore habere, quàm ore quiſquam promere, & oratione percenſere poſsit, volui in mentẽ reuocare, dùm huius anni principio Circumciſionis Originẽ, atque Myſteriũ, quãtum ingenij tenuitas, vtq. potuit ex indiſerto ore prodire, vobis oſtẽdere ſum conatus. Chriſte Ieſu cæleſtis beneficientiæ, & liberalitatis fons copioſiſsime, qui hodierno die noſtra cauſa circũciſus es, hæc à te nouo hoc Anno efflagitamus omnes, Eccleſiã tuam ſanctã repreſſa Barbarorum feritate ad vltimas terras extende: Beatiſsimũ, optimumq. Pontificem tuas in terris gerentem vices ſaluũ, & incolumen ſerua: integerrimũ hunc Senatũ Populumq. Romanum, qui Eccleſiæ tuæ ſanctæ præſidium, religioniſq. propugnaculũ ſemper eſt habitus, bonis omnibus cumulatũ, & ornatũ, diuturna pace, otio, tranquillitateq. potiri concede: omnes nos demum, qui feſtum hunc diem in circumciſionis tuæ memoriam læti agimus in terris, in Cœlum pariter poſt mortem diuina tua liberalitate euocatos, fac tecum frui Regno beato, & æterno.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE